



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conferentiæ Theologico Morales

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,
Confessariorúmque omnium

Ex Materia De Actibus Humanis Excerptarum

Sargar, Eliseus

Augustæ Vindelicorum, 1720

Conferentia LXXXVII. An in primo præcepto Decalogi detur parvitas
materiæ ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41214

rogatas illas choreas publicas, multo majora mala patrata fuisse, quàm iis permiffis.

VII. Cantare, dicere, legere turpia, peccatum est juxta intentionem facientis: si enim fiant cum intentione vel complacentiâ turpi, mortalem: si ex curiositate vel levitate, solum venialem culpam habent. At verò componentes cantiones vel libros turpes ordinariè mortaliter peccant, ob scandalum saltem aliquorum: quemadmodum etiam turpes comædias exhibentes.

VIII. Denique scribere, mittere litteras amatorias, munera, favores similiter peccatum est juxta intentionem facientis: si enim faciant ex intentione libidinosa, vel animo provocandi alterum ad illicitam venerem mortale erit: si ex mera levitate, joco, recreatione, veniale per se loquendo: si ad captandum vel fovendum honestum amorem in ordine ad matrimonium, culpâ vacabit. Intellige semper, *secluso periculo proprio vel alieno*. aut nisi scriptio vel pictura de se valde turpis esset, & ad libidinem provocatoria. Hæc paulò latius, quia in praxi frequentissima.

CONFERENTIA LXXXVII.

An in primo præcepto Decalogi detur parvitas materiæ?

158. *Patri Patritio nostro hic n. 21. est certa regula, in omnibus peccatis, quibus læditur bonum infinitum divisibile, posse dari parvitatem materiæ excusantem à mortali. Quia quando bonum, quod læditur, est divisibile*

bile


bile potens esse majus vel minus, etiam malitia peccati proportionaliter potest crescere & decre- cere, adeoque tandem fieri venialis; cujusmodi est sine dubio furtulum unius assis, levis detrac- tio, modica intemperantia &c. Quæritur ergo hic an simile aliquid contingere possit in peccatis contra primum præceptum præsertim in supersti- tionibus magicis? quare sit

RESOLUTIO: In superstitionibus magicis nulla quidem propriè datur materiæ parvitas, da- tur tamen aliqua levitas actus excusans à peccato mortali. Utpote

I. Si fiant ex simplicitate & ignorantia non cras- sa. II. Si ex merà levitate, joci, vel risus causâ nullo expectato eventu: qualia multa jocosa fieri solent in certis vigiliis, S. Thomæ, Natalis Domi- ni &c. certè non statim peccati mortalis condem- nanda: esto enim illa instituta essent à dæmone, si tamen joco, & non seriò expectando eventum u- surpentur, irrisio potius est quàm invocatio dæ- monis. III. Absque certâ fide adhibita, ex vana solùm formidine in agendis vel cavendis quando- que observare ejusmodi vana signa vel omina, v.g. ex sternutatione, auris tinnitu, cantu corvi, oc- cursu leporis &c. Item ex somniis, plerumque venialem culpam non excedunt: ut cum

aliis notat *Laym. l. 4. tr. 10. c.*

3. n. 10.



CON-